



*Fa. 244.*

*Q.*





649

36

Q. B. V.  
De

**MONTIUM IN-  
CENDIIS**

DISPUTATIO TERTIA,

eaqve

*Physica posterior,*

itidemqve

Benevolô Indultu Facultatis

Philosophicæ

**POSTERIOR PRO LOCO**

in Eâdem obtinendo,

quam

publico examini submittit

Ad 27. Jun. A. Æ C. M DC LXVI.

H. L. Q. C.

**M. THOMAS ITTIGIUS,**

Lipsiensis Alumn. Elect.

LIPSIÆ,

Typis JOHANNIS WITTIGAU.

47.





C. B. N.  
Dca  
MONITUM IN

CENDIS  
DISTICATIO TERTIA

capite  
Pylae posterio

Beneyolo Indulca Facultatis

Philosophica

Posterior Pro loco

in Eadem obtinendo

quoniam  
publico examini submittit

Ab 27. Jun. A. E. C. M. DC. LXXV

H. L. G.

M. THOMAS TITIGIUS

Lipfensis Alumnus, Elect.

LIPSIÆ

Typis JOHANNIS WITTEGAMI





## ACADEMIÆ. SENATUSQ.

LIPSIENSIS.

PATRIBUS. CONSCRIPTIS.

VIRIS.

AUTORITATE. MAGNIFICA. GE-  
NERIS. SPLENDORE. MERITORUM. AMPLI-  
TUDINE. RERUM. DIVINARUM. HUMANARUMQUE.  
SCIENTIA. SPECTATÆQUE. DOMI. ATQUE. FO-  
RIS. PRUDENTIÆ. GLORIA. MAXI-  
ME. CONSPICUIS.

RECTORI. ACADEMIÆ.	AMPLISSIMI. ORDINIS.
MAGNIFICO. OMNI-	SENATORII. CON-
UMQUE. FACULTA-	SULIBUS. ÆDILIBUS.
TUM. DECANIS. AT-	PRÆTORIBUS. CÆ-
QUE. PROFESSORI-	TERISQUE. ASSESSO-
BUS. CORYPHÆIS.	RIBUS. ATLANTIBUS.
ORBIS. ERUDITI. EC-	REIPUBLICÆ. TRAN-
CLESIAE. COLUMNIS.	QUILLITATIS. CON-
FULCRIS. REI. LITE-	SERVATORIBUS. JU-
RARIÆ.	STITIÆ. PATRONIS.

DOMINIS. ET.

MÆCENATIBUS. SUIS. OPT. MAX.

HOC. QVALECUNQUE. EXERCITIUM.  
ACADEMICUM.

SACRUM. NUNCUPAT.

SUMMARUM. IPSORUM. OMNIUM. DIGNITATUM.


HUMILLIMUS. SERVITOR.

M. THOMAS. ITTIGIUS. LIPSIENSIS.



PROCERES UTRIUSQUE REIPUBLICÆ  
SPLENDIDISSIMI,

PATRONI SUMMI,

 Quid olim victimarii dicebant operaturi: Agon<sup>is</sup>  
id ego Favori Vestro litaturus, Magnisque Vestris  
Nominibus sacrificium hoc literarium parans, u-  
tinam Vobis dignum & antiqva legi satis conforme, qua  
cavebatur, ne quod offerretur sine sale. Interim quod illi  
deest rogo Vos obtestorque ut Vestra Benivolentiâ sup-  
pleatis, mihiqve convicto Vestrorum in me Meritorum  
magnitudine, quæ de condignò redhostimentò me despe-  
rare cogit, nihil præter obsequii summissæqve reverentiæ,  
qua jam inde à primâ pueritiâ Fastigia Virtutum Vestrarum  
prosequor, gloriam relictam cogitetis. Quam ut  
quodammodo declaratum irem, viles hæc & umbraticas  
pagellas offerre Vobis ea qua par est humilitate non dubi-  
tavi, quas serenâ fronte si dignati fueritis, erit, de quo mihi  
gratuler, Vobis autem gratias, quibus capiendis mentis sunt  
angustiæ, agam habeamqve maximas, omni spiritu eò eni-  
tens, ut obsequiis studiisque meis, quæ Vestro Patrocinio  
ulteriùs commendo, inserviam Vobis atqve Patriæ, cui  
DEUS Vos servet!

Dabam è Museo

d. 24. Jun.

A. E. C. cld lcc LXVI.





**M**ontibus ignem evomentibus nullum ferè carere terræ tractum, prima meæ de montium incendiis disputationis argumentum fuit, in qua plerorumq; nomina & historiam breviter complexus sum, illorum ceriè saltem, qui vetustioris notæ Scriptoribus non incogniti fuerunt. In illis enim colligendis, qui nostrâ demum aut circa Patrum nostrorum ætatem susceptis in Orbem Novum expeditionibus innotuerunt, (innotuerunt autem bene multi) fateor me certis quibusdam de causis fuisse paulò incuriosorem. Quem defectum si cui supplere libet, adeat Majoli 1) dialogos, Jonstoni 2) admiranda, theomas Baccii, 3) & qui tandem aliquando lucem publicam aspexit mundum subterraneum Athanasi Kircheri. 4) Causas & conservationem hujusmodi incendiorum in disputatione secundâ persecutus sum, in qua examinatis aliquorum circa hoc naturæ negotium sententiis, eam quæ ad veritatem proximè accedere videtur, exposui & tam auctoritate & exemplis, quàm rationibus & argumentis stabilivi. Nunc quod restat exequar, & de nonnullis mirabilibus & observatu non indignis Adjunctis agam, quæ montium incendiis præsertim vehementioribus subinde solent accidere, de Intervallis & Significatione eorundem quædam adjecturus. Quo ipso & fidem meam liberabo, & ea quæ de causis incendiorum hujusmodi proposita sunt eò magis declarabuntur & illustrabuntur. Habes dissertationis hujus argumentum & Scopum. Nunc (quod bene vertat!) ad rem ipsam progrediar.

1) dieb. can. coll. 16. & 22.  
 2) thaum. nat. adm. elem. cap. 9. art. 2.  
 3) l. 1. c. 18. & l. 4. c. 5.  
 4) l. 2. c. 11.

CAP. I.

De Adjunctis quæ montium incendiis accidunt, & primùm de terræ motu.

§. I.

**C**um verò montium incendia plerumq; incipiant cum aliquo terræ motu, ab hoc incipere non inconueniens erit de iis Adjunctis aliquid





aliquid dicturum, quæ montium incendia vel antecedunt vel comitantur vel subsequuntur.

§. 2. Incipere verò montium incendia plerunqve cum aliquo terræ motu, testantur Ætnæ & Vesuvio vicini tractus. Hos enim duos montes, quòd reliquis omnibus eructatione ignium sint celebriores, & per hoc & per reliqua capita exempli loco potissimum proponam.

1) Rer. Sic. dec. 1. lib. II. c. 4.  
2) in topogr. ætn.  
§. 3. Siciliam certè neque rarò neque leviter terræ motibus concussam passim legitur. Annotarunt aliqua exempla Facellus 1) & Philotheus 2) non quæ ab aliis modò tradita acceperunt, sed quæ & ipsi viderunt miserima, & quorum pars fuerunt quantacunqve. Nam & Ipsorum aliquando ætate Sicilia tam horribili terræ motu convulsa fuit, ut totus mundus nedum Sicilia corruere, & in sua seorsim elementa redire videretur.

3) l. 6. epist. 20.  
4) quæst. nat. l. 6. c. 1.  
§. 4. Similia Campaniæ evenire solent Vesuvii nutriti, neque rariùs quàm Siciliæ. Tot enim terræ motibus jam olim agitata fuit, ut Plinius 3) audeat asserere, terræ tremorem Campaniæ minùs formidolosum esse, quia solitus, & Seneca 4) quoque Campaniam, quamvis toties jam illo metu defunctam, nunquam tamen hujus mali securam esse dicat.

5) l. 66.  
6) l. 6. ep. 16, & 20.  
§. 5. Ut ut autem Campania non rarò ejusmodi calamitates passa fuerit, vix unquam tamen majore paroxysmò correpta fuit quàm sub Principatu Titi. Tunc enim tam graves ibi terræ motus extiterunt, ut non moveri omnia, sed verti & in chaos redigi crederentur, hominesque quò se verterent ignari novissimam illam mundo noctem interpretarentur, ut habetur in Historiâ Romanâ Dionis 5) & epistolis Plinii. 6)

§. 6. Licèt vero admiratione omninò dignum sit atqve metu, partes mundi solidissimas labare, quodque unum in illo immobile est fixumque, ut cuncta in se intenta sustineat, fluctuare & suis velut sedibus emoveri: non tamen statim propterea causæ tam admirandi & formidabilis effectus extra naturæ limites quærendæ sunt.

7) l. 6.  
§. 7. Num quis enim nostrum miratur, ut Lucretii 7) verbis utar, si quis in artus

*Accepit calidò febrim fervore coortam?  
Obturgescit enim subitò pes, corripit acer  
Sæpe dolor dentes, oculos invadit in ipsos,  
Exurit sacer ignis, & urit corpore serpens*

Quam.



*Quamcunqve arripuit partem, repitqve per artus.  
Sic igitur toti cælo terræqve putandum est  
Ex infinitò satis omnia suppeditare,  
Unde repente queat tellus concussa moveri  
Perqve mare & terras rapidus percurrere turbo,  
Ignis abundare Ætneus, flammescere cælum.*

§. 8. Non facilius autem in cognitionem causæ horum terræ motuum pervenire poterimus, quàm si in memoriam nobis revocemus, qua ratione montium incendia generentur. Tota res (ut breviter hîc repetam & veluti traham in compendium, quæ alibi prolixius deduxi) ita ferè se habet.

§. 9. Principio terrestris hic globus nequaquam ubiqve solidus & constipatus, sed innumeris hinc inde cavernis cryptisque instructus ac velut interdistinctus est, intra quas Supremus Ille rerum Opifex atqve Architectus non aquarum modò & spirituum, sed incredibilem etiam ignium copiam produxit, & quæ ineffabilis Eius Bonitas est & Virtus, ad variarum rerum generationem & propagationem perpetuò aquarum affluxu (non ex oceanò modo ingentem pingvis viscosæqve materiæ congeriem sed etiam ex variis terrarum mineris sulphur, bitumen & similem combustibilis materiæ fomitem elicitem extractumqve subministrantium) usqve ad consummationem seculi conservat.

§. 10. Subterraneus hic ignis vel immediatè montium incendia molitur, (pingvem nimirum terræ materiam prosequendò, vel per impetum disruptis alicubi caminis ejaculandò flammam) vel mediatè, dum nimirum intra abditissima terræ receptacula continuò sulphureos, nitrosos, bituminosos similesqve minerales spiritus progenerat, qui, dum subinde agitantur & accumulatiores facti variè inter se commiscuntur & confligunt, sensim magis magisque calefiunt, & accedente insuper antiperistasi non difficulter flammam concipiunt, & proximum quodque nutrimentum corripunt.

§. 11. His præsuppositis facilè jam cogitari potest, unde horribiles illi terræ motus, qui montium incendia plerunqve præcedunt, nonnunquam etiam in ipsis incendiis non cessant.

§. 12. Nam quanta flammarum ex hujusmodi præsertim materiæ conceptarum in ipsâ sui conceptione violentia sit perspectum cuilibet esse potest ex cuniculis illis subterraneis, quos minas vocant, quibus



bus terræ motum imitatam esse humanam seu solertiam seu in da-  
8) l. 4. meteor. mnum suum ingeniosam perversitatem asserit Fromondus 8.)  
c, ult. art. 9.

§. 13. Nam sicut in cuniculis illis conclusus inflammatusque pul-  
vis pyrius superimpositas ædificiorum turrium propugnaculorumque  
moles concutit & exturbat: ita spiritus minerales intra terram in-  
flammati superimpositos & circumadjacentes terrarum tractus agi-  
tant & convellunt.

§. 14. Nam quod flamma non adeò magna in cuniculò non ad-  
eò capaci creata respectu superimpositarum molium præstare potest,  
quidni idem flamma multò copiosior in spaciis longè amplioribus  
concepta respectu terrarum montiumque incumbentium & circum-  
adjacentium præstare possit?

§. 15. Eodem simili commodè illustrari potest diversitas illorum  
terræ motuum. Ut enim flammæ in cuniculis illis non uno semper  
successu accenduntur, sed, prout cuniculi ipsi vel occlusiores sunt  
vel patentiores, majores vel minores, profundiores vel extantiores,  
prout item materia laxior vel compactior, siccior vel humidior, &c. ita  
vel irritæ sunt, vel solùm movent, vel etiam discutunt & subvertunt:  
ita flammæ è subterraneis halitibus accensæ, non eosdem semper &  
pari gradu, sed diversos admodum effectus edunt pro variâ conditione  
cavernarum & fornicum, ut & pro diversâ copiâ & qualitate materiæ  
succensæ. Videatur hac de re Gassendus. 9)

9) in lib. X.  
Diog. Laert.  
pag. 1045.

§. 16. Unde autem contingat, ut nonnunquam duæ vel plures re-  
giones satis à se invicem distitæ uno eodemque tempore laborent ter-  
ræ motu, si quæris, principid tibi cogitandum relinquo sitne impos-  
sibile, sulphureos bituminososque halitus uno eodemque tempore in  
duabus vel pluribus regionibus eo quo dictum est modò inflammari.

§. 17. Deinde dico, posse regionem aliquam cum alterâ benè dis-  
sitâ per occultos quosdam subterraneos canales communicare.  
*Aditus quippe sub terrâ diversi sunt, imò & sub mari quod, certis locis  
ad vicinas usq; insulas pertingunt, vimq; ignis exinde communicant, ut  
est apud Baccium. 10)*

10) de therm.  
l. 4. c. 5.

§. 18. Factum hoc videtur in illo terræ motu quem paulò post  
initium hujus seculi tota pene Europa sensit. Dubio procul enim  
plures inflammabili spiritu plenæ cavernæ extiterunt, angustis mea-  
tibus inter se perviæ, adeoque exhalatio, dum uno loco accensa fuit,  
post breve temporis spatium ab hoc in alium, inde in tertium & sic  
con-



consequenter locum transfiliit. Cujus rei indicium est circumstan-  
tia temporis, quo unoquoque; in loco paroxysmus ille factus consigna-  
tus est.

§. 19, Et quid multis? Siciliam certè in eaque Ætnam cum insu-  
lis Æoliis, has cum Vesuviò totaque ferè Italiâ arcanu/n quoddam ha-  
bere commercium ad oculos demonstrari potest. Peireskius oc-  
cultum illud commercium adhuc longius extendit. Putavit enim  
Vesuvium cum Ætnâ, hanc cum Syriâ, hanc cum Arabiâ felice, hanc  
cum regione Erythræo vicina per occultos canales communicare. Et  
ex eodem fonte deduxit causam, cur Vesuvius, Ætna, & Semus Æ-  
thiopum mons uno aliquando eodemque tempore cœperint vehe-  
mentiores flammæ eructare. Confer Gassendum in vita Peirescii. 11) 15.

§. 20. Pertinet huc iudicium Gassendi, 12) quod super immani 12) Phil. Epi-  
terræ motu, qui annò hujus seculi 7. in Peruviâ contigit, & quem Four- cur.p.1048.  
nier Jesuita in hydrographiâ suâ prolixius describit, edidit. Ani-  
madvertendū, inquit, debuisse cavernas subterraneas sic inter se commu-  
nicare, ut ignis accensus in Onnte monte (qui aliquo jam tempore ci-  
neres eructaverat, & qui tum primùm cœpit commoveri) per cuniculos  
quasi serpsit, & ex ordine succenderit.

### C A P. II.

#### De mugitibus & fragoribus subterraneis.

§. I.

**D**um verò ita sulphurei bituminosique halitus intra terræ recepta-  
cula conclusi exitumque vi quærentes vehementissimè inter se  
colluctantur, lateraque & parietes superimpositorum fornicum suc-  
cutiunt, tandemque effractis obicibus exitus libertatem nanciscuntur,  
avulsaque viscera montium magnâ cum violentiâ eructant, exinde in  
locis ignivomis varii mugitus excitantur, & graviora subinde quàm  
de cœlo tonitrua audiuntur.

§. 2. Exempli locò iterum nobis sint Vesuvius atque Ætna. De  
Ætnâ Plinius: 13) fragor ad Maronem & gemellos colles auditur. Vir- 13) l. 3. nat. hist  
gilius: 14) c. 82.

*Curvis immugit Ætna cavernis.*

Solinus: 15) in Ætnæ vertice hiatus duo sunt crateres nominati, per 15) cap. 11.  
quos eructatus erumpit vapor, præmissò prius fremitu, qui per æstuan-





res cavernarum latebras longè mugitu intra terra viscera devolvitur,  
nec ante se flammaram globi attollunt quàm interni strepitus antecede-  
dant. Silius: 16)

16) l. 14.

*Ast Ætna eructat tremefactis cautibus ignes  
Inclusi gemitus pelagiq; imitata furorem  
Murmure per cæcos tonat irrequieta fragores.*

17) l. 5. boll. Appianus: 17) facti sunt Ætnæ horrendi fremitus & mugitus. Tran-  
civ. quillus: Repente Cesar è Messanâ noctu profugit Ætnæi verticis fumo

18) Svet. Ca. ac murmure pavefactus. 18) Facellus: 19) Sicilia tota diebus fere 12. to-  
lig. nare cœpit, crebriq; sonitus ac ingentes, quales ex tormentorum bellico-  
rum ictibus edi solent aut etiam graviore non modo Catana & vicinis

19) dec. I lib. 2. agris sed totâ insulâ sunt auditi. Confer Senecam 20)

20) l. 2. quæst. nat. c. 30. §. 3. Quàm vehementes verò formidandiqve sint Ætnæi illi stre-  
pitus, vel ex hoc constare potest, quòd Poetæ vehementissimum  
quemque sonitum, Ætnæis fragoribus componant. Vide sis Statium

21) Sylv. l. I. passim. 21) §. 4. De Vesuviò Xiphilinus: 22) per eos dies resplenduit in Vesu-  
Theb. III. & c. viò ignis, tantiqve mugitus extiterunt ut Capuam usq; audirentur. Et

22) l. 76. in descriptione incendii sub Titò orti: 23) adhæc sonitus cum subter-  
23) l. 66. raneit tanquam tonitrua, tum supra terram mugitibus similes extite-  
runt. Theodoricus in epistolâ ad Faustum præpositum servatâ in Va-

24) l. 4. Var. riis Cassiodori: 24) sed non in totum eventus ille est horribilis, præ-  
ep. 50. mittit signa gravia ut tolerabiliùs sustineantur adversa. Tantis enim

25) l. 2. & 3. de quidam spiritus grandisonò fermitu omnia terrificet. Procopius: 25)  
bellò Goth. Est in Campaniâ mons Vesuvius dictus, isq; plerunq; sonitum mugienti  
26) l. 12. similem edit, qui ferme cum sit ingens vis cinerum subsequitur.

§. 5. Liceat addere, quod Silius habet de Phlegræis campis: 26)

*Parturit & tremulis metuendum exsibilat antris,  
Interdumq; cavas luctatus rumpere sedes  
Aut exire foras sonitu lugubre minaci  
Mulciber immugit, lacerataq; viscera terræ  
Mandit & exesos labefactat murmure montes.*

§. 6. Non commodiùs ejusmodi strepituum causa poterit illu-  
strari quam simili ab iis tonitribus desumatò, quæ in mediâ aëris re-  
gione à sulphureis & nitrosis effluviis intra nubis medium conclusis  
excitantur, dum nimirum illa vel parietes & latera nubium variis &  
mal-



multiplicibus resiltionibus circumvolutionibus, & conflictibus pulsant & veluti arietant, vel in crustationem nubium, quâ debilior fuerit, maximô cum impetu perrumpunt.

§. 7. Atque ut ex illo exhalationum intra nubis medium conflictu non unus idemque semper, sed pro diversâ quantitate & qualitate tam ipsarum exhalationum quàm nubium ut & variâ distantia & reflexione locorum aliisque circumstantiis varius & diversus sonus excitatur: ita & in illis montium incendiis aut ante illa varii eduntur soni, magni, exiles, graves, acuti, rauci, clari cæteri que, unde in diversis locis secundum Agricola 27) quodammodo auditur mugitus, murmur, fragor, fremitus, pro qualitate nimirum, quæ Plinii 28) sunt verba, materiæ formæque vel cavernarum vel cuniculi per quem meat.

27) de nat. eor. quæ effl. l. 4. c. 12.  
28) l. 2. n. h. c. 30.

§. 8. Sicut autem duæ sunt potissimum aeriorum tonitruum (hoc enim discriminis causâ placet illis assignare nomen) differentiæ: aut enim tonitru fit quasi simul & semel per modum crepitus aut bombi, qualem edere solet explora bombardæ aut tormentum bellicum; (idque contingit, quando exhalationes spiritosæ & calidæ intra nubem frigidam receptæ ac velut obsessæ & vel per motum vel per antiperistasin vel per alias causas accensæ, ut majorem sibi acquirant locum, vehementi cum impetu nubem rumpunt, novumque aerem ipsis occurrentem repellunt) aut fit cum prolixâ quadam diuque durante reboatione ad instar currus per saxa aut tabulata devoluti, (cum nimium exhalatio vel jam accensa vel ante sui inflammationem per nubem hinc inde diffugium quærendo transcurrendoque, ad cava ejus latera impellitur, & nubem quidem disjicit, sed non ita erumpit ut eluctetur) ita & subterraneorum tonitruum duo potissimum sunt genera, quorum tamen alterum sæpè alteri miscetur, quod etiam in aeriis tonitribus non est novum.

§. 9. Et unum quidem subterraneorum tonitruum genus est, cum exhalationes sulphuræ & bituminosæ repagula montium terrarumque non effringunt, sed tantum intus veluti rixantur, & dum ad cava montium latera illiduntur, varieque per cavernas & cuniculos subterraneos circumvolvuntur, prolixum quendam mugitum & obscurum quoddam murmur producant.

*Sic murmurat alti  
Impacata quies pelagi cum flamine fracto*

*Durat*





*Gunt adhuc sevitq; tumor, dubiumq; per aestum  
Lassa recedentis fluitant vestigia venti.*

§. 10. Alterum verò, cum exhaltationes illæ intra cavernas subterraneas inflammatae, ut majus sibi spacium acquirant terras montesque superimpositos horrendo cum fragore dirumpunt & eluctantur.

§. 11. Quod si globuli vitrei cerasum magnitudine non superantes usque ad medietatem aquâ nitrosâ impleti & carbonibus superimpositi ob vaporum exitum quarentium violentam eruptionem, immanem quendam fragorem edunt, quod probaverunt non semel curiosi: quantum majorem sonitum excitari necesse est tantâ spirituum copiâ, quanta sæpè totas urbes atque insulas sedibus suis emovet, è terræ visceribus prorumpente.

### C A P. III.

#### De ebullitione maris ejusdemq; veluti fugâ.

§. I.

**N**ec verò aqua in tantâ terræ atque aeris percussione nulli mutationi subest. Nam & hoc elementum in montium incendiis magnas agitationes pati, nemini ignotum esse potest.

§. 2. Hugo Falcandus 29) Scriptor si Gervasio Tornacæo credimus 30) seculi à Christò Natò 13. in descriptione illius Ætnæij incendii quod Guilielmi II. Siciliae Regis temporibus accidit, hæc habet: *Messanae mare cum tranquillissimum esset, paulò secessit à littore in se ipsum primò se contrahens, deinde pededentim rediens prefixas littoris metas transiliit, murosq; civitatis alluens ipsis etiam portis se infudit.*

§. 3. Pertinet huc portentosum Insularum Hephæstiadum incendium, de quo sic Orosius: 31) *M. Emilio & L. Oreste Consulibus, Ætna mons vastò tremore concussa exundavit igneis globis, rursusq; alio die Lipare Insula & vicinum circa eam mare in tantum efferbuit, ut adustas quoq; rupes dissolveret, tabulatq; navium liquefactis ceris extorret.*

§. 4. Non absimilia de Vulcaniis Insulis habet Strabo 32) ex Possidoniò, cujus verba cum prolixiora sint, videantur apud ipsum. Idem Strabo 33) refert, cum juxta Modonen aliquando ignea exhalatio à continenti prorupisset, fervisse mare ad 5. stadia, turbatum fuisse ad viginti.

§. 5.

29) de calamit.  
Sic.

30) in prolegom. ad Falc.

31) l. 5.

32) l. 6.

33) l. 7.



§. 5. Similia Tyrrheno mari accidunt à Vesuvii incendiis. Unde Plinius 34.) in describendo horribili Vesuvii incendiò, cujus jam supra meminimus, occupatus hæc memorat: *præterea mare in se resorberi & tremore terræ quasi repelli videbatur, certè processerat littus, multaq; animalia maris siccis arenis detinebantur.* Plutarchus quoque cum conflagrationis Vesuvianæ mentionem facit, eamque jam pridem in Sibyllinis oraculis prædictam asserit, meminit *Ζέσιος Θαλασσία* 35)

34) l. 6, ep: 20.

35) l. de Pythiæ oraculis.

§. 6. Talis Ζέσιος Θαλασσία ex Vesuvii incendiis orta est Idea Principis Politico Christiani, quæ Saavedræ calamus delineavit, emblemata 93. cum inscriptione: *impia fœdera.* Audiamus ejus verba, quibus maris à Vesuviò acceptam cladem describit non ineleganter, *abdedit, inquit, mons ille sub viridi sub palliò astum & siccitatem interiorum suorum viscerum, & mare nihil suspicatum mali fœdus cum eo iniit, eumq; strinxit undarum suarum brachiis. Verum dolosus ille mons sinistram intentionem prescit in pectore, donec fumus indicia quædam proderet eorum, quæ intus ille moliretur. Crevit inter utrumq; communicatio per secretas & occultas quasdam vias, nec capere potuit vicinum mare, sicutum illum amicum non nisi munimenta adversus se erigere, & subterraneos cum diversis metallis sulphureis instruere cuniculos, donec jam perfectis ignem admovent. Et paulo post: mare tam inopinâ hostilitate stupefactum ad ipsum centrum cum ipsis aquis se recepit, seu metu id factum fuerit, seu astu ad cogendas undas, quibus se tueretur. Pugnarunt inter se duo elementa non sine naturæ trepidatione metuentis, ne pulcherrima hæc rerum fabrica conflagraret.*

§. 7. Possem adjicere plura hujusmodi exempla, sed illo labore supersedeo, & potius de causis tantarum maris alterationum aliquid adjicio. Observo autem circa alterationum illarum historiam, duplicis potissimum illas esse generis. Occurrit enim primò quidem maris ebullitio seu fervor, deinde ejusdem à littore recessio & veluti fuga. Ad hæc duo capita revocari possunt omnes maris in montium incendiis mutationes.

§. 8. Ebullitionem & fervorem maris quod attinet, dico oceanum habere fundum instar cribri foraminibus pertusum, quæ sunt veluti orificia canalium, quæ ex mari hinc inde in abditissimas & intimas terræ latebras derivantur. Hoc præsuppositò dico, inflammatum sub terrâ spiritum materiam prosequendò per canales subterraneos

B

neos





neos ad ipsum usq; mare pervenire, illudque ventis praesertim accedentibus perturbare, agitare, fervefacere, in altum efferre, & quae sunt similia.

§. 9. Recessionem maris à littore sic ferme contingere probabile est: ruptis terrae motu cavernarum fornicibus vastae aperiuntur voragine, in quas mare subingreditur, quousque affluentes ex alto aquae desertum litus occupant jacturam refarcientes.

## CAP: IV.

### De fumi eruptione,

§. 1.

Quae pertractavi haec adjuncta veluti proscenia quaedam sunt futurae tragediae, prodromique quidam incendiorum vehementium. Annumerandi his sunt fumi sub incendiorum initium prorumpentes, qui deinde nisi incendiò cessante non cessant. Unde Cassiodorus 36) inter exarsuri Vesuvii prognostica ponit & hoc: *fuscatur aer illius loci exhalatione teterrima, & per totam pene Italianam cognoscitur, quando illa indignatio commovetur.*

36) l. 4. Var.  
ep. 50.

§. 2. De fumis Aetnae ita Maro, 37)

*Interdumq; atram prorumpit ad aethera nubem  
Turbine fumantem piceo & candente favilla*

37) 3. an.

38) praef.  
mund. subt.  
c. 2.

Kircherus illos ita describit: 38) ego Aetnam & Strongylum diligentius intuitus eos ingentes fumorum globos montium instar praeter solitum eructare notabam, quibus longè lacteque diffusis non Lipararum modo sed & Siciliae aspectus ex oculis tollebat.

39) l. 6. ep. 16.

§. 3. De forma & figura fumi è Vesuvio emissi Plinius haec habet: 39) *nubes incertum procul intuentibus ex quo monte, (Vesuvium fuisse postea cognitum est) oriebatur, cujus similitudinem & formam non aliam magis arbor quam pinus expresserit. Nam longissimo veluti truncò efflata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu subvecta deinde senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem evanescebat, candida interdum, interdum sordida & maculosa prout terram cineremve sustuberat.*

§. 4. Et verò tantis intra terrae viscera focus ardentibus quid mirum ingentes fumorum globos excerni? Observo autem à Scriptoribus, interdiu ferè fumum, noctu flammam è montibus ignivomis eru-

ctari



tari. De Veluvio id expresse testatur Xiphilinus. 40) De Aetnâ 40) l. 66.

Pindarus: 41) ποταμοὶ δ' 41) Pyth. od. 1.

Ἀμέραιοι μὲν πρὸς ἑσπέρην ἰσθμὸν καπνῶν  
Αἰθῶν' αἰθ' ἐν ὄρεσσι πέτρας  
Φοίνισα κυλινδομένα φλόξ ἐς βαθεῖ  
Ἄν πόντος φέρει πλάκα σὺν πατάγῳ.

Et Strabo: 42) noctu clari fulgores eduntur, interdium fumus. Hinc 42) l. 6.

& Plinius 43) Aetnam montem nocturnis mirum incendiis vocat. 43) l. III. c. 8.

Et alibi, ardet, inquit, Aetna noctibus semper tantoq; evo ignium ma-  
teria sufficit. 44) h. n. 44) l. 2. c. 106. hist. nat.

§. 5. Unde hoc eveniat, indagatu non est difficile. Nam praeterquam quod majus lumen absorbet minus, accedit & illud, quod humores nocturni flammam veluti refrigerant & irritant, quod interdium propter Solares radios non contingit. Interdium dissipatur ignis & marcescit à calore Solis, congregatur noctu ob circumstantes frigus.

§. 6. Illud autem peculiare est, quod Acoſta 45) refert alicubi in Novò Orbe in fundò alicujus montis sine flammâ ac fumò sic ardere ignem, ut avarus quidam suspicatus aurum esse lebetem per ferream catenam demiserit momento temporis ab igne conflata & ablutam. Simile ferè spectaculum ad Ninderin oppidum paulò ante sua tempora proditum fuisse Baccius refert. 46) fides sit penes Autores.

45) l. 3. c. 28. hist. Ind.]  
46) de therm. l. 1. c. 8. & l. 4. c. 6.

## CAP. V.

De ejectione cinerum, arenarum, omnis generis mineralium, metallorum & lapidum,

§. 1.

Hæc quæ hæcenus pertractavi Adjuncta plerunqve præcedunt ingentes illos ignium excessus, ita tamen ut deinde sæpè per totum incendii tempus perdurent. At cum furere incipiunt montes ignivomi, præter fumorum flammarumqve globos etiam cineres, arenæ, pumices, massæ minerales & metallicæ, omnis generis lapides, aliæqve materiæ vi ventorum ac spirituum expelluntur.

§. 2. Quæ quancquam hominibus, agris, ædificiis, & quicquid offendunt, cladem subinde inferant non exiguam, in eo tamen veneramur Divinæ Sapientiæ Bonitatem, quod in montibus potissimum iisque plerunq; ad mare relegatis ignium subterraneorum spiracula

B 2

esse



esse voluerit. Nam si planiora loca ignium subterraneorum evaporationi fuissent destinata, exitium multò majus orbi immineret. Cogita enim quanta reum ex hujusmodi montibus eructatarum pars in abruptis montium deponatur, quanta in mare deferatur, quanta vaporum maligniorum copia in sublimiore aere resolvatur, ventisque dispellatur.

§. 3. Ejiciuntur verò dictæ materiæ non exiguâ nonnunquam copiâ. Cineres certè tantâ sæpè copiâ effusi sunt, ut fidem superent, quæ Scriptores circa illam rem memoriæ prodiderunt.

47) l. 5.

§. 4. Narrat Orosius 47) Ætnam aliquando præter solitum exarsisse & torrentibus igneis superfusis lateqve circumfluentibus Catinam urbem finesqve ejus oppressisse ita, ut tecta ædium calidis cineribus præusta & gravata corruerent, illiusqve cladis levandæ causâ Senatam Romanam 10. annorum vectigalia Catinensibus remisisse.

48) dec. r. lib.

2. c. 4.

§. 5. Scribit Fazellus, 48) Anno salutis 1537. craterem montis Ætnæ, tantam subnigri cineris per triduum molem efflavisse, ut non modo mons ipse ac finitima, sed ad Pelorum quoque & Pachyorum, quin & Calabria Cosentium usqve interjacentia oppida cineribus operirentur, & maria quoque ad eò circumfunderentur, ut 300. p. m. à Sicilia distantes naves cinere fœdarentur, ut nautæ postea retulerunt.

§. 6. Stupore digna sunt, quæ narrat Xiphilinus locò jam aliquoties citatò, *tanta, inquit, erat copia cineris, ut terram mare atq; aerem completeret, quæ res multa damna, ut cuiq; fors tulit, importavit. Postremò tantus fuit cinis, ut inde pervenerit in Africam, Syriam & Ægyptum, introieritq; Romam, ejusq; aerem compleverit, & cælum obscuraverit.* Alludit eò Silius: 49)

49) l. 17.

*Ubi viccâ tandem devictus ad astra  
Evomuit pastos per secula Vesuvius ignes.  
Et pelago & terris fusa est Vulcania pestis,  
Videre Eoi monstrum admirabile Seres  
Lanigeros cinere Ausoniò canescere lucos.*

50) Chron.  
P. 559.

§. 7. Acciderunt similia temporibus Leonis Imperatoris. Nam cum ille, ut ex Cedrenò & Marcellinò refert Calvisius 50) suum ex Ariadnâ nepotem præteritò parente Casarem crearet, & propterea spectacula edidisset, profundis illa tenebris tecta sunt, & cinere pluit tanquam nive, qui ad palmæ altitudinem jacuit, & hanc ob causam  
annuæ



annuæ supplicationes institutæ sunt. Idem Vesuvii incendium Sigonius 51) describit omnem tunc Europam minutò cinere fuisse coopertam referens. Cum Anastasius deinde imperium tenuit, similibus cinereis pluviis Vesuvius terruit mortales. Unde Theodoricus Ostrogothorum Rex ad Faustum præpositum scribens apud Cassiodorum, *volat per mare magnum, inquit, cinis decoctus, & transmarinas quoque provincias cinereis guttis compluit. Et quid Campania pati possit cognoscitur, quum malum ejus in aliâ Orbis parte sentitur. Videas illic quasi fluvios quosdam pulvereos, & arenam sterilem impetu fervente veluti liquida fluenta decurrere. Stupeas subitò usque ad arborum cacumina intumuisse dorsa camporum, & luctuoso subitò calore vastata, quæ latissimâ fuerant viriditate depicta.*

51) l. 14. Imp. occid.

§. 8. Confirmat id Procopius, 52) Vesuvius, ait, ubi sonitum mugienti similem ediderit non longè post cineris vim ingentem emittit. Et siquem fortè cinis emissus deprehenderit, nulla erit huic vitæ spes reliqua. Quod si in domicilia cinis inciderit, nimio depravata onere collabuntur. Porro si validior tum ingruerit ventus, sublimem ad eò cinerem agit, ut spectari ab homine amplius non queat, & eò defertur, quò proclivior ventus abstulerit, & in longinquam plerumque delatus regionem, illabitur. Ferunt namque, cum in Byzantium semel hic cinis incidisset, sic ejus loci homines terruisse, ut eo ex tempore ad nostram ætatem annuis Deum supplicationibus placent. In Tripolim quoque Libyæ altero & sequenti anno illapsum affirmant.

52) l. 2. bell. Goth.

§. 9. Sed & fortiores montium nervi in uterò ipsorum coalescentes nisu parientium expelluntur. Unde Ætnam Virgilius 53) scopulos avulsaque viscera montis cum gemitu glomerare, Silius 54) semibambusta saxa liquefactis cavernis rotare, Claudianus 55) molibus terrificis cœlum laceßere affirmat. Idem de Vesuviò legitur.

53) Æn. 3.  
54) l. 4.  
55) libr. I. de R. Proserp.

§. 10. In monte quodam Insulæ Moluccæ tantum evaporare spiritum igneum Majolus testatur, ut emittat lapides nihilo minores, quàm sunt quibus utimur ad molendum. Idem testatur circa provinciam Ciapotulam esse montem evomentem saxa tantæ magnitudinis, quantæ sunt plaustra onusta. 56)

56) Maj. coll. 16.

§. 11. Ascribendum hoc ventis terræ intercutaneis, qui secundum Langium 57) magnâ copiâ intra terræ viscera conclusi sunt. Nec enim dubitandum tantâ vi pollere ventos, ut saxa etiam gravissima in sublime ferre & per montium crateres eructare possint, maria & terras

57) ep. med. 52.



terras cælumque profundum quippe ferant rapidi secum vertantque per auras.

§. 12. Ex his constare potest cur potissimum Euro vel Africò flante (pro Africò Aretius 58) Boream ponit) Ætnæa incendia sæviant. His enim flatibus plusquam cæteris patet. Constat quippe juxta Idoram, 59) Ætnam ex ea parte, qua Euris vel Africus flat, habere speluncas sulphuris plenas & usque ad mare deductas, quæ recipientes in se fluctus ventum creant, qui agitated ignem gignit. Inde fit ut Ætna reliquis ventis spirantibus quodammodo habeat inducias.

58) chorogr. Sic.

59) de orig. l. 13. c. 8.

§. 13. Est verò montium ignivomorum miraculum non postremum, quòd nonnunquam mineralia metalla, lapides, aliæque materiæ vi ignis intra montium cavernas liquefactæ & ventorum vi elevata torrentis instar à vertice usque ad mare aut aliud spatium satis à vertice remotum tribus sæpè aut pluribus alveis non exiguæ latitudinis deferuntur & despumant.

§. 14. Sicut enim in fornacibus artificum etiam contumacissima metalla & durissimi quique lapides liquefiunt: ita illud multò facilius intra officinas Vulcani subterranei præstari potest. Utitur hoc simili Hesiodus 60) cum terram post fulminatam Typhœum igne correptam instar plumbi vel ferri liquefacti fluxisse canit. Ad illum locum Bembus, 61) propterea, inquit, ego illum plumbi & ferri exempla posuisse crediderim, ut alteri compararet, quæ igne facilius corripuntur & fluunt, ut sulphurea tellus omnis, eaq; terræ partes quæ tenuiores sunt; alteri autem cum saxa omnia, tum ea quæ flamme resistunt magis, & sunt suapte naturâ duriora.

60) Theogon. v. 86. seqv.

61) dialog. de ætn.

62) p. 68.

63) epod. 17.

§. 15. Tantam utique Ætnææ flammæ violentiam habent, ut illis vehementissimam quamque comparent Poetæ. Unde Catullus: 62)

*Si tantum arderem quantum Trinacria rupes. Et Flaccus: 63)*

*O mare & terra ardeo*

*Quantum nec atrò delibutus Hercules*

*Nessi cruore, nec Sicana fervida*

*Virens in Ætnâ flamma.*

§. 16. Quò minus persuadere mihi possum tantam illis flammis, cum nivibus Ætnæis intercedere familiaritatem, ut invictâ in utroque violentiâ neque calor frigore mitigetur, neque frigus calore dissolvatur, ut vult Solinus & cum illo plures.

§. 17. Sanè verticem Ætnæum nivibus nonnunquam canescere facile



facile largior. Quotquot enim illum montem conscenderunt (quorum quidem testimonia ad nos pervenisse scio) aliquid de nivibus retulerunt. Sed eas etiam in medio incendiorum furore à flammaram violentiâ immunes esse nulla ratio admittit.

§. 18. Habent montium incendia sua intervalla ut notum est, & postea pluribus dicitur. Illarum induciarum tempore nives in Æt-nâ se ostendunt. Tantæ etiam Æt-na est altitudinis, ut si in inferioribus tantum partibus ignis ardeat, suprema montis regio nullum possit inde detrimentum capere. Fazellus, Philotheus, Bembus atque alii quo tempore Æt-nam conscenderunt, eamque nivibus opertam testati sunt, nullum incendii (nisi præteriti aut profundissimi) indicium fenserunt. Frigus enim tantum tunc temporis perpessi sunt, ut se vix evasisse vivos scribant. Aut igitur Æt-næus ignis tum planè extinctus fuit, aut, quod mallem dicere, ultra infimas montis partes non prorupit. Sed hæc *ὡς ἐν παρῶν.*

§. 19. Illud verò adhuc circa eructationem variarum rerum admiratione dignum est, quòd, cum tot vicibus tanta variarum rerum copia è montibus ignivomis eructetur, qua totas urbes, insulas, portus ab accessu ventorum immotos & ingentes (qualis certè Logninæ portus olim fuit) partesque & tractus terrarum & marium non exiguos obrutos & opletos legimus, parum tamen altitudini quorundam montium decedat.

§. 20. Quæ est illa singularis exceptio, quærimus non immeritò cum Theodericò in variis Cassiodori, unum montem sic suam ubique substantiam dispergere, ut non videatur damna sentire? nec enim peredit Impositam celer ignis Æt-nam, ut Horratii verbis utar. 64)

64) l. 3 Carm. od. 4.

§. 21. Ante omnia autem hic observandum, naturam nunquam otari, & dum ignis materiam consumit, reparare aliquid quod deinde consumat.

§. 22. Deinde facit huc aliquid, quod magna copia materiæ jam semel eructatæ imò nonnunquam etiam jam in cinerem redactæ, sæpe intra montis uterum relabatur, ibique successu temporis iterum incendio apta efficiatur, dum sulphurosa aliqua fuligo materiæ illius poris se insinuat, quæ materiam subeunte deinde igne conflagrare facit denuò, non secus ac priùs. Quam præparationem adjuvant & promovent non parùm pluvix, nives grandinesque exterius supervenientes, uti prolixius id deducit Jesuita Kircherus. 65)

§. 23. 65) mund. subter. l. 3. c. 7.





66) part. 3. l. 1.  
debitum. c. 8.  
67) l. 1. c. 17.

§. 23. Accidit hoc imprimis in materiis bituminosis. In illis enim calor compulsus ad centrum nova spiracula per resolutionem diffundit, quibus insinuatae aquae novum alimentum afferunt igni, halitusque veluti coagulant, uti verba sunt Libavii 66) Pertinent huc illi *Λιθάνθρακες*, de quibus Levinus Lemnius in occultis naturae. 67)

§. 24. Ideoque praeterquam quod tellus semper sui foecunda est, & semet ipsam parturit teste Bembo, etiam moles cinerum aliarumque rerum eructatarum magnam copiam montium superciliis ac dorsis aggeruntur, quae deinde magnam cum ruinam subsidunt & intra Aetnam relabuntur, ibique eodem quo dixi modo incendiis iterum aptae sunt.

68) Tertull.  
apolog. c. 48.  
69) in Octav.  
70) de nat. rer.  
c. 46.  
71) in Julian.  
orat. 1.  
72) de poenit.  
& conf.  
73) de civ. Dei  
l. 21. c. 4.

§. 25. Hoc ipsum S. Patribus ansam dedit, ut montibus ignivomis poenam damnatorum compararent. Hinc Tertullianus: *noverunt & Philosophi diversitatem arcani & publici ignis. Ita longe alius est qui visu humano, alius qui iudicio Dei apparet sive de caelo fulmina stringens, sive de terra per montium vertices eructans, non enim consumit quod exurit sed dum erogat, reparat. Hoc erit ignis aeterni testimonium, hoc exemplum jugis iudicii poenam nutrientis. Montes uruntur & durant, quid nocentes & Dei hostes?* 68) Eundem fere in modum Minutius Felix: 69) *nec tormentis ullus modus erit aut terminus. Illic sapiens ignis membra urit & rescit, carpit & nutrit, sicut ignes fulminis corpora tangunt nec absument, sicut Aetna & Vesuvii ignes & ardentium ubique montium flagrant nec erogantur: ita poenale illud incendium non damnis ardentium pascitur, sed inexesa corporum laceratione nutritur.* Cont: Isidorum Hispalensem, 70) Nazianzenum, 71) Pacianum, 72) Augustinum, 73) & alios.

## CAP VI.

De tenebris, hominum aliorumque animalium interitu, agrorum, pagorum, oppidorum subversione, fontium perturbatione, veterum obstructione, apertione novorum, lacuum emersione.

§. I.

Cum vero tam densi atque atrii fumorum globi, quam non exiguae cinerum, pumicum, rerumque aliarum moles e montibus eructantur,



679

tur, & quo minus Solare Lumen ad oculos nostros pertingat, crassitie suã & densitate obstant, exinde oriuntur tenebræ, de quibus eloquentissimus Tullius, *Cogitemus*, inquit, 74) *tantas tenebras, quanta quondam eruptione ignium Ætneorum finitimas regiones obscuravisse dicuntur, ut per biduum nemo hominem homo cognosceret, tertio autem die cum Sol reluxisset, revixisse sibi viderentur.* Similes tenebræ Vesuvianorum ignium eruptione exorta regnante Titò, ut ex Xiphilini Pliniiq; locis citatis est videre.

§. 2. Devenio nunc ad animalium brutorum hominumque interitum. Exempla ubique obvia sunt, & ratio cuilibet facile constare potest.

§. 3. Quàm facile enim in tali montium paroxysmò pestiferi halitus è terræ visceribus emittuntur, qui virulentia suã tabe longos tractus inficiunt, & vitam viventibus adimunt?

§. 4. Quàm facile à crassiore fumò spiritus animalium obstruuntur & suffocantur? Hoc modò Plinius Avunculum suum concidisse coniectat, crassiore nimirum caligine spiritu obstructò, clausoque stomachò, qui illi naturã invalidus & angustus & frequenter intus æstuans erat. Hinc & Orosius homines, qui in incendiò Ætneò, quod M. Æmiliò & L. Oreste Coss contigit, longiùs diffugere non possent, reciprocatò anhelitu calidi aeris adustis introrsum vitalibus suffocatos autor est.

§. 5. Quàm facile à cineribus, pumicibus, saxis, aliisque rebus eructatis opprimuntur, quibus aufugere non est integrum? Ita occubuit Franciscus Niger patriã Platiensis sed incola Leontinus, Medicus sui temporis insignis, qui, cum nimis prope fornaces Ætneos accessisset, uno ex lapidibus emisiss in caput ejus dilapsò concidit, & vitæ suæ terminum implevit, testantibus id Fazellò & Philotheò. Procopius certè asserit, nullam illi vitæ spem reliquam, quem cinis è Vesuviò emissus deprehenderit: quanto majus à pumicibus & saxis periculum?

§. 6. Prætereo in montium incendiis nonnunquam vi terræ motus vastas aperiri voragine, intraque illas omnia superstantia absorberi, adeoque ut Statii 75) *verba mea faciam, infra urbes populosq; premi: ut de interitu illorum nihil dicam, qui ædificiorum ruinã opprimuntur.* Quo pertinet quod memorat Hugo Falcandus, quindecim nimirum hominum millia ædificiorum ruinã oppressa, cum Guilielmi

84) 2. lib: De.  
nat, Deor:

75) l. 4. Sxliv:  
c. 4.



lielmi II. temporibus Ætna commoveri & tota Sicilia terræ motu convelli cœpisset.

76) de civ. Dei 1, 21. c. 4. §. 7. Nec verò in hoc malò publicè noxiò agri, sylvæ, pagi, vici, oppida, nullam calamitatem patiuntur. *Tantâ aliquando vi favillæ scripserunt oppletam Siciliam, teste Augustinò 76) ut Catinensis urbis tecta obruta & oppressa diruerent, quâ calamitate permoti misericorditer ejusdem anni tributum ei relaxavere Romani.* Orosius, ex quo hæc & antecedentia hausisse videtur Augustinus, non unius sed 10. annorum tributum Catinensibus levandæ cladis causâ à Senatu remissum dicit.

§. 8. Nec semel Catinenses ejusmodi damnis affecti leguntur, sed sæpe, imprimis vero regnante in Sicilia Gulielmo II. Tunc enim illorum civitas adeò subversa est, ut ne una quidem domus superstes remanserit.

§. 9. Similia acciderunt aliis etiam vicinis pagis, vicis atque oppidis. Anno Salutis 1537. uti Surius commemorat, Ætna ingentem ignis massam evomuit, quæ decidens colles, nemora, saxa, rupes, pagosque duos flammis vastavit. Fuerunt illi duo pagi Nicolosum & Mompelerium, ut ex Fazello & Philothæo patet, qui etiam D. Leonis templum in nemore situm ab Heiricò Lombardò Adelasiæ Germanò Comite atque Marchione pro anima Rogerii Comitis uxorisque ejus Adelasiæ erectum monachisque quibusdam cœnobio datum terræ motu primum corruisse, mox ignibus obrutum testantur.

§. 10. Idem à Vesuvio periculum vicinis tractibus, neque rariùs ejusmodi incendiis devastata est vicina Vesuvo ora jugo. Unde Campani Theoderici Regis temporibus Vesuvii hostilitate vastati clementiæ Regis supplices lacrymas profuderunt, ut sublevarentur onere tributariæ functionis, ut in illâ Theoderici epistolâ videre est jam aliquoties citatâ.

§. 11. Quid Pompejis acciderit, & Herculano, ex Senecâ 77) poteris cognoscere. *Pompejos, ait, celebrem Campaniæ urbem desedisse terræ motu audivimus vexatis, quæcumq; adjacebant, regionibus. Nam & Herculaniensis oppidi pars ruit, dubiaq; stant etiam quæ relicta sunt.*

77) l. 6. nat. qv. c. 1.

78) in Campan.

77) Antonius Sanfelicius 78) subversionem illorum oppidorum describit his verbis: *Titi Vespasiani principatu montem utriq; oppidò imminentem conflagrasse constat, eiq; mediâ ejus vomagine tantas erupisse flammæ, ut ad Ægyptum cineres pervenerint. Latè vagantes ignes sylvas,*



B.C.

*Sylvas, arbusa, casas, edes & quicquid fuit obvium absumerunt, liquatis quoque saxis, quae instar ferreae spuma miserabilem illam testantur calamitatem. Haustum eò invendiò Herculanum, Pompejanos autem in scenicorum ludorum spectaculis confidentes repentinus lapidum sepelivit casus, uniusque theatri cavea facta est totius civitatis urna. Adeò ejusdem Sanfelicii judiciò idem utriusque oppidi interitus fuit sicut & idem ortus. Eundem utriusque oppido fuisse ortum scribit quòd cum Solinò 79) & Dionysio Halicarnasseo 80) existimet, utrumque ab Hercule Hispaniarum & Geryonis debellatore conditum fuisse.*

§. 12. Contingit talis everfio pagorum, vicorum & oppidorum in montium incendiis duas præcipuè ob causas, quarum una est terræ motus, cujus vi ædificia totaque oppida concutiuntur, labefactantur, corruunt, nonnunquam & absorbentur: altera est violentia torrentium igneorum, incredibilisque copia cinerum, pumicum aliarumque rerum è montium visceribus rejectarum, quibus vicina loca conspurcari, & nonnunquam planè devastari necesse est.

§. 13. Tantà enim copià nonnunquam ejusmodi materiæ è montibus ignivomis evomuntur, ut integri montes atque insulæ fuerint exortæ, ut & in antiquis annalibus legitur, nec nostra ætas similibus portentis caruit. De montibus ex hujusmodi materiâ enatis Puteolanus ille fidem facit Modernus dictus, de quo Baccius. 81) De insulis fidem facit Vulcanelle Strongylo vicina aliarumque de quibus Livius, 82) Strabo, 83) Seneca, 84) Orosius, 85) Plinius, 86) & alii agunt. De insulâ annò seculi hujus 38. non procul à Tercerarum unâ hoc modo exorta Gassendo literis fide dignis relatatum est, ut ipse in Physiologiâ Epicuri fatetur. Quid prope Santerinium insulam in Archipelagò acciderit, ex Francisco Riccardo retulit Kircherus. Quod si tantæ moles è terrâ eructantur è quibus vasti montes insularumque possunt effici, quid mirum vicinos montibus ignivomis agros, pagos, vicos oppidaque opprimi & subverti?

§. 14. Narrat Petrus Hispalensis 88) multa oppida oppressa à cineribus & lapidibus ex monte ignivomo vici Mohalalo ejectis. Anno Christi Nati 1460. terrâ plurimâ è monte quodam cubitis 100. à mari distanti cavatâ reperta est navis cum omnibus propemodum instrumentis ferreis, cum multis hominum cadaveribus, eamque se vidisse narrat Fulgosus apud Majolum, cujus non inepta est conjectura navem illam forsan in littore jacentem à variis materiis magnâ copiâ



è mari ejectis fuisse oppressam & veluti sepultam. Pertinet huc quod refert P. Kircherus, Catanenses cum pumices aliquando fossuri essent terrâ ad 100. palmos apertâ plateas marmoribus stratas, aliâque antiquitatis vestigia reperisse.

S. 15. Restat consideranda fontium perturbatio, veterum obstructio, apertio novorum, lacuumque emerfio. *Multis locis terra debiscēs, Falcandi verba sunt l. c. & novos protulit fontes & veteres obstruxit nonnullos.* Et paulò post: *Syraculis Arethusa fons nominatissimus de limpido turbulentus effectus, saporem salsum multâ maris admistione contraxit. Taurus fons aquis uberrimus, qui de pede montis juxta Casale Saracenorum egreditur quasi duarum horarum spatîo manens obstructus aquas continuit, magnòq; de hinc erumpens impetu sanguinei coloris laticem per horæ spatium mirantium oculis exhibuit.* Anno Christi 1631. cum Vesuvius inter alias miserandas strages quâ mare respicit torrentem igneum eructasset, omniaque obvia incredibili damnò absumsisset, eodem tempore ex alio latere, quo Palmæ Nolæque campos despectat, ingentem aquarum vim effudit, omniaque latè demersit ut ex Recupiti libello de Vesuvii incendiò refert Jesuita Schottus. 89) Non multò post iterum aqueus torrens in campos decidit, eodem ibidem referente. In illo horribili Vesuvii incendio, quod annò 38. hujus seculi contigit, oppidum S. Euphemie à terræ motu absorptum, inque ejus locum lacum putidum emerfisse narrat in præfatione mundi sui subterranei oculatus hujus rei testis Kircherus. Idem ex annalibus Societatis Jesu refert eodem anno montem Picum in insulâ Timor nihil nisi lacum post se reliquisse.

89) anat. Phys.  
hydrost. l. 1.  
c. 7.

S. 16. Quod mirabiles hos effectus attinet, dico primò, illam perturbationem & falsedinem Arethuse provenisse à multa admixtione maris, quod vi terræ motus intra Arethuse canales compulsus fontem ejus limpidissimum turbavit salsumque reddidit. Secundò, Taurus fons colorem sanguineum accepit, à misturâ mineralium hujusmodi coloris vi spirituû intra canales ejus impactorum, quæ post aliquod spatium subsederunt, fontique pristinum splendorem reddiderunt. Tertiò obstructionem veterum fontium quod attinet, notandum, in hoc terræ motuumque affectu immensa nonnunquam subterrestrium portionum spacia in ultimam ruinam deduci, quæ ruinâ, si fluminis alicujus mœandri obstruantur, fontem ipsum fluviumque cessare necesse est, qui deinde alibi sibi exitum aperit. Unde Quar-  
tò



Alj  
tò novorum fontium apertio oritur. Quamquam illa hoc etiam  
modò contingere potest, ut aquæ marinæ intra montium cavernas  
derivatæ calore subterraneò fervefactæ vi spirituum igneorum in al-  
tum protrudantur, quod in illo Schotti exemplo factum videtur.  
Pertinet huc Peirescii discursus apud Cassendum in ejus vitâ, cum dis-  
ferit, ignes subterraneos arduos canales quasi sibi creare, & bitumi-  
nosâ suffumigatione incrustationem obtendere, quæ aquam mari-  
nam arceat, incrustationem verò illam interdum abrumpi, ita ut  
aqua subeat, ejusque rei indicium esse, quod tempore Vesuviani in-  
cendii littus Neapolitanum aliquantisper resiccatum fuerit, revo-  
mente interim monte absorptas hiatibus aquas materia combusti-  
bili ignescentes. Quintò lacuum emersio contingit, quando ea, quæ  
terræ motu absorbentur in hydrophylacia subterranea incidunt, non  
secus ac lapis intra concham aqua plenam demissus fundum petit &  
expulsam inde aquam necessario extra concham exuberare facit.

## CAP. VII.

### De incendiis intervallis.

§. I.

**U**Ti verò montium incendia sua habent initia atque incrementa:  
ita non minùs decrementa sua & quandoque finem.

§. 2. Fit enim subinde, ut vel locus, à quo flammæ nutrimentum  
suppetit, ruina subterrestrium fornicum obstruatur, vel ignium spi-  
raculum obturetur, vel nutrimentum non statim reparatur, vel ni-  
miâ aquarum affusione ignis propagatio impediatur: quorum aliquid  
si contingat, necesse est incendia cessare, quousque tollantur impedi-  
menta modò dicta.

§. 3. Hinc multa loca veterum memoriâ ardentia hodiè legimus  
extincta, hinc induciæ & intervalla Vesuvii

*Nec quæ sulfureis ardet fornacibus Ætna*

*Ignæa semper erit, nec enim fuit ignea semper, 90)*

hinc in locis maritimis magis perpetua incendia, ut quæ nutrimenti  
reparationi aliis sint aptiora.

§. 4. Post stata autem & certa intervalla redintegrari montium in-  
cendia, sicut stellæ redeunt in orbem, sicut anni & annorum tempe-  
states, sicut æstus marini certam horarum determinationem habent,

C 3

sicut

90) 15. Met.  
Ovid.



sicut febribus stata sua tempora non desunt, id & rationi repugnat, & historicae veritati, quicquid afferant in contrarium illi, qui certò potius & regulari, quàm irregulari processu montium paroxysmos recrudescere affirmant.

§. 5. Rationi id repugnare dico. Nam sicut nec efficientes, nec adjuvantes, nec conservantes, nec materiales, nec instrumentales incendiorum causæ pari semper copiâ & qualitate præsto sunt: ita nunc serius ocysus instaurari montium incendia necesse est, neque post certum fixumque tempus semper redire possunt.

§. 6. Neque minùs illa de stasis incendiorum intervallis opinio repugnat historicae veritati. Ex Ætnæis incendiis de reliquis iudicium fiat, quæ post irregularia intervalla rediisse experientia testatur. Quod ut magis pateat, brevè quoddam Ætnæorum incendiorum Chronicon subjungam.

§. 7. Ubi tamen omitto illa, quæ antiquiora sunt quàm ut certa de iis haberi possint monumenta, quæ est illud quod Janigenarum tempore, quo novas colonias quæsaturi in Siciliam ingrediebantur, contigisse Kircherus scribit ex Berosò, ut ipse asserit, ex quo etiam Fazellus refert 91, Herculem Ægyptiũ Siciliã subactã, cum Ætnæi ignis miracula conspexisset trajectò rursus Euripò in Italiam ac mortuò deinde in Iberiã Hispanò nepote annò Alzatis 39. in Celtiberos reversum. Ubi tamen fateor me eo quidem locò in quo coloniam illius Janigenarum & expeditionis Herculanæ in Italiam & Celtiberos mentio fit in somniis illis atque figmentis, quæ Johannes Annius Viterbiensis Berosi titulò obtrusit eruditus, nihil de Ætnæis incendiis invenire potuisse. Nam Italiam quidem tribus locis arsisse multis diebus circa Cymeos, Istros & Vesuvios, vocataque propterea ea loca à Janigenis Palensana i. e. regionem conflagratam paulò ante memorat Berosius ille supposititiis, sed de Ætnâ nihil ibi loci habetur.

§. 8. Neque de illo Ætnæ incendio certò constat, quod tempore Raptus Proserpinæ Claudianus 92) Argonautarum tempore Orpheus in Argonauticis, tempore expeditionis Æneæ Virgilius 93) fuisse refert. Tam enim illæ historiae involutæ sunt fabularum corticibus, ut ficta à veris rectè discernere sit res non exigui laboris.

§. 9. Illud certum, jam antiquissima esse Ætnæ incendia. Nam, si Diodoro Siculo fides hinc habenda, Sicani antiquissimi hujus Insulae populi

91) deo. 2. lib. 1.  
6. 1.

92) l. 1. de rapt.  
Prors.

93) l. 3. Æn.



populi ab Ætnæis ignibus coacti sunt, ut orientali plaga relicta loca occidentem versus spectantia peterent. 94)

S. 10. A Græcorum deinde in Siciliam adventu usq; ad olympiadem 88. ter arsisse legitur Ætna apud Thucydidem 95.) Sic enim sonant ejus verba ex interpretatione Laurentii Vallæ: *Per idem ver profluvium ignis ex Ætnâ monte Sicilia omnium maximo emanavit quemadmodum aliâs & aliquantulum soli Catanensium corruptit sub Ætnâ incolentium. Fertur hoc profluvium quinquagesimò à superiore emanasse annò, ad summum vero ter extitisse, ex quo Sicilia à Græcis incolitur.* Primum horum trium incendiõrum, qua præcise olympiade factum fuerit, non constat, cum tempus illius à Thucydide non sit determinatum. illud autem quod suâ ætate Thucydides accidisse scribit, factum est secundùm Eusebium Cæsariensem annò 2. olymp: 88. cum summum Athenis Magistratum gereret Euclides, h. e. annò ante Christi in carne manifestationem 477. juxta supputationem Cluverii, 96) à quo non multum discedit Calvisius. Medium ergò horum trium incendium factum erit annò 4. olymp. 75. annò ante Christum 427. Et hoc forsàn incendium illud fuit, quod Siculis illis fratribus æternam nominis gloriam acquisivit, de quibus Seneca 97) aliique.

S. 11. Olympiadis deinde 96. anno 1. anno ante natum Christum 396. iterum horrendum extitisse Ætnæ incendium colligitur ex iis quæ Diodorus Siculus 98) in rebus gestis illius temporis annotavit. *Quia ignem, inquit, ad maritimam usq; oram eructaverat Ætna, terrestribus exercitus non amplius ita duci poterat, ut nauticum ad littus comitantem haberet. Maritimis enim tractibus flammantis Ætnæ profluviò exustis necessitas pedestre agmen circumire coegit.* Idem est hoc incendium cum illo cujus Orosius 99) commemoratis Artaxerxis & Cyri filiorum Darii rebus gestis mentionem facit.

S. 12. Cn. deinde Cæpione & C. Læliò Coss. mons Ætna ignibus abundavit juxta Obsequentem in prodigiis. Fuerunt autem hi Consules Annò V. C. 613. ante partum Virginis circiter 140. Idem Ætnam paulò post A. U. C. 618. anno ante Christum 135. Serviò Flaccò Q. Calpurniò Coss. ignibus solitò majoribus arsisse testatur, confirmante id Orosiò. 100) Denuo id factum est novenniò post M. Æmilio L. Oreste Coss. iterumque post quadriennium Cn. Domitio Ænobarbo & C.

94) l. 6. c. 2.

95) l. 3. bell. pelop.

96) l. 1. c. 8. Sic. ant.

97) III. de ben. c. 37.

98) l. 14. bibl. hist.

99) l. 2. c. 18.

100) l. 5. c. 6.



& C. Fanniō Strabone Coff. uti illud Autores modò laudati te-  
stantur.

§. 13. Cæsarum deinde ætate aliquoties iterum Ætnam arsisse anno-  
tatum est. Nam & bellum Cæsaris cum Pompejō, & mortem Cæ-  
saris vehemens Ætnæ incendium præcessit, quorum posterius Virgi-  
lio 1) prius Petronio Arbitro in suo Satyrico & Lucano memo-  
ratur. 2)

§. 14. Augustō deinde res Romanas discordiis civilibus fessas  
nomine Principis in imperium redigente rursus facti sunt in Ætnâ  
horrendi fremitus & mugitus excandescentibus etiam ignibus, ut le-  
gitur apud Appianum, 3) à quo proximum incendium fuit, quod  
Caligulâ Imperatore est exortum, de quo videatur Svetonius in ejus  
vitâ.

§. 15. Quæ subsequenter deinde seculis contigerunt Ætnæ in-  
cendia, ut anno post Christum Natum 254, 812, 1169, 1284, 1323,  
1329, 1408, 1444, 1536, 1537, 1633, 1638, 1650, 1660, videantur  
prolixius descripta apud Fazellum, Aretium, Philotheum & alios  
recentiores passim.

## C A P. VIII.

### De significatione incendiorum.

§. 1.

Sed nunc ad finem properandum, quem faciam, cum de incendio-  
rum horum significatione pauca adjecero.

§. 2. Quamquam enim montes ignivomi non secus ac nostra cor-  
pora naturali quodam morbo ita sæviant & furant, non præsumen-  
dum tamen animo cujusquam, nihil horum Deum facere, nec  
irâ Numinis unquam vel cælum concuti vel terram: sed piè creden-  
dum est, quòd Deus per tam admiranda Æternæ Majestatis suæ ope-  
ra velut per nuncios & interpretes quosdam Iram suam ob peccata  
mortalium gravissima excandescentem humano generi indicat, ani-  
mosque nostros in peccatorum somno immerfos ad pœnitentiam  
debitamque Nominis Sui reverentiam excitet.

§. 3. Cognoscebant hoc etiam gentiles, qui cum terram movisse  
senserant, nuntiatumve erat, ferias ejus rei causâ edicto imperabant,  
Gellio



663

Gellio id annotante, 4) licet verum Deum Creatorem cœli & terræ 4) l. 2. noct.  
non cognoscerent miseri, neque scirent, cui Numini ferias illas ser- Att. c. 28.  
vari oporteret. Et quid multis? Nonne montium incendia pesti-  
lentiâ, siccitatem, sterilitatem, consequenter annonæ caritatem,  
aliasque similes calamitates non tam portendunt quàm inferunt?

S. 4. Sed ultra hos limites non est progrediendum, nec ea quæ in  
imperferutabilibus Fati abyssis adhuc recondita latent temerariâ cu-  
riositate rimanda sunt. Quid enim hoc est aliud quàm fatigare æter-  
nis consiliis animum minorem, veraque pericula fictis & mentitis  
terroribus augere & aggravare? Manet immotè verum illud Venu-  
sini. 5)

§) l. 3. od. 29.

*Prudens futuri temporis exitum  
Caliginosâ nocte premit Deus,  
Ridetq; cum mortalis ultra  
Eas trepidat.*

**H**Actenus igitur montiû consideravimus incendia, & causas illorû  
expendimus, contemplati sumus admiranda illorum Adjuncta, &  
in illorum rationes inquisivimus. Speramus, nos nimio vulgi stupo-  
ri metuique maximâ cum animi consternatione hæc naturæ opera  
intuenais, hoc ipso vel remedium vel certè temperamentum inve-  
nisse. Ignorantibus enim veram & genuinam cujusque rei causam,  
naturamque oculis tantùm externis non etiam ratione compren-  
dentibus omnia terribilia sunt, præsertim cum raritas accedit auget-  
que metum. Ut enim familiaria leviùs nobis accidunt; ita major  
ex insolitò formido. Cum igitur timendi causa sit nescire, cur non  
tanti fuerit scire ne timeamus? Sed & hoc solatium hominibus in  
ejusmodi calamitatibus præbet, quòd omnia in unam mortem ter-  
minantur, omniaque veniunt in fati servitutem. Qui nihil vult  
timere, omnia timenda esse cogitet. Putasne te tam valida & felicia  
fortitum membra, te in tantam crevisse magnitudinem, ut nisi inter  
tenebras & ignes, inter sulphur & fumos, inter tonitrua & mugitus,  
inter terrarum & montium ruinas & incinerationes perire non pos-  
sis? Quid times crassos densosque sulphurei fumi globos, cum tibi  
suffocando vel crassior saliva sufficiat? Quid terras disrumpi scin-  
diqve

D

diqve



diqve metuis, cum unius ungviculi & ne totius quidem dolor, sed le-  
vis aliqua à latere ejus scissura te conficiat? Quid extimescis, ne  
mari suis sedibus emotò limitesqve suos transgressò obruaris, cum  
unicò stillicidiò perire possis, potioqve exigua te strangulare qveat  
malè per fauces lapsa? Quid terræ motus, marium inundationes,  
montium incendia aliaqve mala extrinseca tantò te terrore affi-  
ciunt, cum plura habeas in sinu tuò & intra te? Et, quid in tota  
rerum naturâ tam vile est aut tam exiguum, quod in  
tuam perniciem non satis valeat? Mors ubi-  
qve nostra tantundem!

## COROLLARIA.

I.  
**V**Oces ex institutò significant. Sanò igitur sensu explicandum  
est quod dicit Aristoteles in Politicis sermonem homini esse na-  
turalem.

II.  
Unius rei proprium proprium alterius rei esse nequit, neqve tamen  
exinde sequitur proprii incommunicabilitas.

III.  
Identitas rei non excludit statim distinctionem realem.

IV.  
Corpus non esse partem essentialem hominis periculosum est as-  
serere cum Freinsheimò, neqve rationes illæ adductæ in carmine quo-  
dam Germanicò, quod Cygnus ille paulo ante obitum suum com-  
posuit, id evincunt.

V.  
Ignem cum luce confudisse videntur Digby in libro de anim. im-  
mortal. & Vossius in tract. de nat. lucis, quorum ille lucem esse Sub-  
stantiam contendit, hic ignem accidens, Uterqve perperam.

VI.  
Nullum Cometam parallaxin admittere, omnesqve ex cœlesti ma-  
teriâ supra Lunam generari, nondum satis est probatum

VII.  
Astrologorum de fortunâ hominum ex natalitiis thematibus Di-  
vina-



Obq.

vinationes, incertissimis nituntur hypothesis. Hinc nisi fortuito incidant in verum, sicut qui totos dies jaculantur casu aliquando feriunt, fallunt & falluntur. Nulla enim est signorum cum rebus iis à quibus denominantur & prædicantur, naturalis connexio, sed ex mero hominum placitò facta illorum & agnominatio & dimensio. Nisi forte dicant, Deum signis illis uti, tanquam hieroglyphicis quibusdam notis, & sic per illa nobiscum loqui, uti aliàs se applicare & conformare solet conceptibus nostris. Sed hoc probandum est.

VIII.

Honores debitos nimis negligere, neque dignitatem, in qua unusquisque constitutus est, sartam tectam conservare, tantum abest ut privata modestia sit, ut publica potius injuria dici mereatur, cum intersit Reipublicæ, ut suus cuique honos deferatur. Prusæ Bithyniæ Regis ἐν βασιλικῇ τύχη ἀνδρῶν ποδάρης ψυχῇ meruit certè gravem Polybii censuram, quam breviter contraxit Livius sub finem Historiæ Romanæ, Polybius, inquit, eum Regem indignum Majestate tantâ tradit, pileatum capite raso obviam ire Legatis solitum, libertumque se populi Romani ferre, & ideò insignia ejus ordinis gestare, Romæ quoque cum venisset in curiam, summis se & osculò limen curiæ tetigisse, & Deos Servatores suos Senatum appellasse, aliamque orationem non tam honorificam audientibus, quàm sibi deformem habuisse.

IX.

Uni & decretorio prælio fortuna belli non facillè committenda. Equidem antiquiorum temporum memoriâ nihil erat frequentius. Ita Darium fortunam totius regni uni aut alteri prælio commisisse constat. Ita à Cæsare & Pompejo in campis Pharsalicis urbis, imperii, generis humani fata commissa sunt; At nostrum & superius seculum experienciâ magistrâ didicit, eos qui non statim ad prælium decretorium accurrunt, magis sapere.

Qva



Qvæ montium atros evomant ignes juga,  
Qvæ terra montes ebrios æstu ferat,  
Primus, nec artis indigus, monstrat labor.  
Causas secundus, altior scientiã,  
Incendiorum pandit atqve pabula,  
Cavisqve terræ sedibus qvæ delitens  
Portenta in auras Mulciber mittat, docet,  
Adjutus auris, Æole, in partem tuis.  
Nunc ecce numeros implet omnes tertius,  
Terræqve motus, murmura, & maris fugam,  
Sparfosqve fumos, & favillarum globos,  
Tenebrasqve spissas, damnaqve & feram luem  
Vicesqve prodit, signaqve Orbi tristia.  
Fas sit, nec atro dente dicta mordeat  
Livor malignus, ferre judicium mihi,  
Atqve, arte qvanta, dicere, hæc tractes, sacris  
Dilecte Musis & profanis ITTIGI.  
Tanta arte tractas, montium illorum specus  
Penetrasse ut omnes mente censeri qveas.  
Vel corpore ipso potius & prompto pede  
Saliisse in altas ignium voragines,  
Et curioso, nempe reddendus tuis,  
Notasse ocello qvæ doces miracula.  
Qvid qvaris? illo gloriã saltu excidit  
Samius Poëta: \* tu tenebis, ITTIGI,  
Almaqve semper vinciére adorea  
Famã superstes nesciusqve funeris.

\* Horat. in Ep.  
ad Pisones, v.  
463.

*Eruditissimo labori dilectissimi sui ITTIGII  
hoc quicquid est debebat*

L. Fridericus Rappolt, Poës.  
Prof. Publ.

F I N I S.



Oa 1258.8

vd 18

ULB Halle 3  
002 702 584



TA-FL

Von

n.c.











649

36

AM IN.

IIS  
TERTIA,

rior,

u Facultatis

ica

RO LOCO

inendo,

submitte

M DC LXVI.

C.

WITTIGIUS,

n. Elect.

E,

WITTIGAU.

7.

